

dam est ex argenti viui substantia, in eis inclusa in principio suę mixtionis, quam dicimus supereminētem. Alterum verò sulphur extraneum suę naturæ, quam dicimus correspondentem.

Et est norandum diligentissimè, quod istorum duorum corporum coniunctio est necessaria in hac arte ad album & ad rubeum. Et sunt duę rationes, quarum vna est: Cùm aurum sit nobilius inter metalla, & magis compactum, perfectum & fixum, tamen si dissoluatur, & in partes minimas separetur, fit spirituale & euolans, sicut Mercurius. & hoc ratione suę caliditatis: & tunc habet tincturam sine numero, & ista tinctura vocatur sperma masculinum calidum. Si verò argentum soluatur in aquam tepidam, nihilominus manet fixum sicut prius, & nullam aut paucam habet tincturam: est tamen promptum ad ipsam tincturam recipiendam in temperamento calidi & frigidi: & vocatur sperma fœmineum, frigidum & siccum: est ergo conueniens eorum coniunctio. Est & alia ratio, quia cùm aurum & argentum quodlibet istorum per se est difficilis fusionis & liquefactionis, tamen si coniungantur, faciliter fluunt & liquefiunt, vt sciunt aurifabri, facientes consolidaturas ad aurum. Vnde si in lapide nostro esset solummodo alterum istorum duorum, nunquam per aliquod magisterium de facili flueret medicina, neque tincturam daret. Et si daret tincturam, non tingeret nisi in quantum esset, eò quòd non esset receptaculum tincturæ. Hoc totum non intelligas de Luna vulgari, sed de Luna Philosophica, vnde & Lunaria dicitur. Ergo consulo vt non opereris nisi cum Mercurio, Sole & Luna. Quoniam totum beneficium artis huius in illis tribus consistit.

*De coniunctione corporis & spiritus, & lapidis  
dissolutione in primam materiam.*

*CAP. III.*

Certum est omnem rem esse ex eo in quod resoluitur. Nam gelu conuertitur in aquam calore mediante. Clarum est ergo illud prius fuisse aquam quàm gla-